

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Clarissimo uiro, prudétia, eruditione & uirtute praestanti, domino Thomae
Matthiae, consiliario inclyti principis electoris Marchionis,&c.fratri sup
charissimo, S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

tur eximia sit beneficētia illustrissimi Principis Electoris Marchionis & uestra erga Sabinum, qui hoc tempore sine sua culpa in calamitatem incidit: uicissim Deus illustrissimo Principi & uobis benefaciet. Et ut clemēter seruet incolumem illustrissimum Principem, et cum gubernet, Deum toto pe-ctore oro. Sabinus recens mihi scripsit, se prorsus expectare exilium. Ad nos nuper missæ sunt delibe-rationes Prusiæ, de quibus responsones nostras uobis mittam. Commendo uobis hunc Paulum Vrsinum, uirum honestum, doctum & candidum. Mitto pagellas, meo more. Bene ualete, Calend. Ian. 14. rii, 1555.

Clarissimo uiro, prudētia, eruditione & uirtute præstanti, domino Thomæ Mat-thiæ, consiliario in clyti Principis Electro-ris Marchionis, &c. fratri suo cha-rissimo, S. D.

Clarissime uir, et charissime frater: Extat dulcissi-ma uirtus apud Clementem Alexandrinum, quam citat ille scriptor ex Sophocle: quanquam in his tra-gædijs quas habemus, non legitur. Sed tibi & alijs bonis non dubito sententiam, uelut insignem gem-mam, placere, ἀπαρ τὸ χενερον τῆρ ἰσον ἔχει φύ-σις: id est, Boni retinent similes naturas & uolun-tates, nec fortuna mutantur. Est igitur specimen bo-nitatis

nitatis in tua natura, quod in hac confusione temporum, & in tot distractionibus, tamen benevolentiam erga me & meos perpetuam retines: id mihi gratius est, quod etiam iudicio te moueri statuo, ne à me alienari animū tuum patiaris. Cumq; sciam meos labores tibi notos esse, & uoluntate erga Ecclesiam perspectam, hanc commemorationē omitto: ac potius gratias ago, quod in nostra amicitia constantiam præstas, & meis beneficere studes. Nā D. Sabinus summo candore tua erga se officia prædicat: quæ quidem cum ad me quoq; pertinere statuum, tibi & debeo & habeo gratiam: teq; oro ut deinceps nos quoq; tuearis, memor dulcissime uirtutis, quæ citauit: ἀπὸ τοῦ χριστοῦ τὸ ἐν ἡμῶν εἶναι φέρεται. Mitto pagellus. Sed post paucos dies rursus edetur enarratio Epistolæ ad Romanos, cuius exemplum tibi mittam, quod uolo te quoq; ut censorē legere. Fuit enim hoc meū studium, ut simpliciter recitarem doctrinam Ecclesiæ necessariā: & quæstiones omitterem nō necessarias, in quibus ostentant aliqui acumen, qui absurda mirantur, & despicunt usitata: sicut de suis ciuibus dicit Thucydides, esse eos contemptores usitatarum, & applausores nouarum. quales nunc multi sunt. Sed oro Deum, ut nos gubernet. Bene uale, 13 Aprilis, 1556.

Clarif-